

quenter neque discontinuationem, sed eandem superficiem, et quantitatem, sub modo indivisibili ponit. Et licet discontinuatio illa sit quoad locum, essentialiter tamen illi annexa est discontinuatio quantitatis, quæ consistit in duplici terminatione; divisa autem quantitate dividitur corpus, cujus individuatio dependet ex designatione quantitatis, et indivisione ejus, tanquam ex conditione per se requisita, ut in libris de Generat. dicitur. Sed tamen implicatio posita currit, præsupposito quod sit eadem quantitas in corpore existente in duplici loco, et non aliter.

Ad tertium respondetur, quod attinet ad primum exemplum, jam satis dictum est, quod illa presentia sacramentalis non est presentia propria corporis, sed diversi generis, et ideo respectu illius non currit implicatio allata; neque enim dividit quantitatem, ut dictum est.

Ad secundum exemplum dicimus non esse contra nos, quia si eidem corpori attribuat duplex quantitas, non repugnabit esse in duplici loco sine divisione ejusdem quantitatis, in quo consistit implicatio allata.

Ad tertium exemplum dicimus, quod personalitates Divinæ non habent oppositionem relativam nisi inter se non respectu naturæ, quam terminant, vel assumunt; cum ex eadem perfectione, et eminentia proveniat in ipsis Personis terminare alienam naturam, eodem enim modo Persona Patris potest terminare humanitatem assumptam, sicut Persona Filii. At vero diversitas loci circumscriptivi discontinuat quantitatem, quia non potest aliter intelligi existentia in loco distantis, nisi cum discontinuatione quantitatis, seu divisione, cum qua non stat identitas ejusdem quantitatis, quæ est implicatio allata.

Ad confirmationem respondet ex D. Thoma in iv, dist. XLIV, supra citata, ubi ponit idem argumentum, quod cum unitate loci extrinseci stat diversitas quantitatis; cum diversitate vero loci non stat unitas, eo quod sufficit ad discontinuandum, et dividendum quantitatem discontinuatio loci, ut probatum est. At vero unitas loci non sufficit constituere unitatem quantitatis, si alias subjectum, in quo est quantitas, non est unum; accidentia enim maxime habent unitatem suam ex unitate subjecti, licet quantitas etiam dependeat ex unitate loci, sine qua discontinuatur, et dividitur: quare unitas quantitatis dependet ex duobus, scilicet unitate subjecti, et loci, et quocumque sublato, solvitur unitas, quia malum ex quocumque defectu. Et ideo stat bene diversitate quantitatis penetratio, et existentia in eodem loco, quia ob diversum subjectum illa quantitas supponitur diversa, non autem stat cum diversitate loci circumscriptiva unitas quantitatis, quia diversa circumscriptio discontinuat.

QUÆSTIO XVII.

DE VACUO.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum vacuum naturaliter sit dabile?

Supponimus definitionem vacui traditam ab Aristotele in hoc libro, cap. VII, quod sit *locus non repletus corpore*. Quod autem aliqui addunt *aptus tamen repleri*, superfluit ut bene notat Magister Soto in presenti questione tertia. Nam hoc ipso, quod dicitur locus, aptitudo ad repletionem designatur. Et ideo in hac defi-

nitione non includitur vacuum negativum, quale est extra cælum, quia ibi non datur locus, id est, superficies aliqua non continens intra se aliud corpus. Potest tamen definiri quod est spatium carens omni corpore, de quo D. Thomas 1 p. q. XLVI, art. 1 ad 8, ubi inquit: « Quod supra cælum est, et ly supra designat locum imaginarium. »

Suppono secundo, vacuum negativum de facto dari, cum supra cælum nullum sit corpus, cum ibi finiatur hoc universum. Vacuum autem privativum intra universum non datur ex ipsa inclinatione naturæ, eo quod tale vacuum impediret ordinem, et dispositionem corporum in universo; quod constat corporibus ordinate dispositis. Vacuum autem cum privet corpore, ad nihil deservit, nisi ut tollat istum ordinem, et ideo singula corpora toto impetu feruntur ad replendum vacuum etiam cum detrimento proprii loci, ut cum aqua ascendit per fistulam aere attracto. De potentia tamen absoluta Dei nulla est implicatio, quod detur vacuum, quia potest annihilare, vel separare quocumque corpus, et impedire, seu denegare concursum, ne aliud moveatur ad locum ejus.

Difficultas ergo tota consistit, an detur aliqua virtus in rebus creatis, sive in corporibus, sive in spiritibus, ad faciendum vacuum contra inclinationem naturæ. Nam licet ex parte corporum plures afferantur experientia, quibus natura obsistit vacuo: non tamen ex hoc probatur, nullam dari virtutem ad ponendum vacuum, licet providentia Divina id non permittat propter conservationem universi, sicut ex causis naturalibus potest generari tanta pluvia vel ignis, quod destruat totam terram, si id providentia Divina permittat. Ad hæc, necessitas illa, et dependentia mundi sublunaris a

cœlesti, non ostendit in rerum natura non esse vim aliquam ad inducendum vacuum; tum quia hæc ratio non procedit in ipsis corporibus cœlestibus, in quibus non est dependentia pro sui conservatione ab influxu cœli; cur ergo saltem ibi non poterit dari vacuum? Tum secundo, quia non est certum, quod deficiente influxu cœli, etiam ad momentum statim peribit corpus inferius, et dato hoc, solum probatur non posse naturaliter fieri tale vacuum, quo totus mundus inferior privetur cœlesti influxu. Quod vero pars aliqua mundi tali influxu careat, non est majus inconveniens, quam quod illa pars destrualur; quotidie autem videmus partes universi immutari, et corrumpi. Denique, licet videamus ista corpora inferiora tanto pondere inclinari ad impediendum vacuum, hoc tamen solum probat, non posse induci vacuum ab inferiori corpore, quod solum potest operari circa aliud corpus inferius, non tamen probat, quod a corpore cœlesti, vel ab aliqua occultiore vi non possit vacuum induci.

De spirituali virtute major est difficultas, eo quod quantum, et quid possit virtus angelica, valde nobis occultum est. Potest tamen æqualiter fieri argumentum; tum quia Angeli movent totum cælum, ergo a fortiori poterunt movere totum elementum et impedire, ne unum corpus alteri succedat; tum etiam, quia virtus totius naturæ corporeæ ad replendum vacuum est finita; ergo poterit aliqua majori, etiam finita vinci: major autem est spiritualis virtus, quam corporeæ; ergo non repugnat, quod totius naturæ spiritualis, verbi gratia, omnium Angelorum virtus superet totam vim naturæ corporeæ ad replendum vacuum. Denique, licet influentia cœli feratur per lineam rectam, et ideo

non possit transire posito vacuo, tamen poterit ab Angelo deferri illa influenza per lineam obliquam ad conservandum corpus infra vacuum positum, et sic poterit continuari cum latioribus superioribus.

Propter hæc multi affirmant posse virtute naturali saltem angelica fieri vacuum, licet attento ordine universi a Deo stabilito contra illum ordinem non possint, non ex defectu potestatis, sed ex denegatione permissionis; sicut Angelus, qui cælum vertit ab oriente in occidentem, vim habet ad movendum contrario modo ab occidente in orientem, quo casu totum mundum turbaret; et tamen supposito ordine a Deo constituto non potest Angelus id facere. Et sic intelligitur, quod Scriptura dicit ad Hebræos II: *Quod Angelis non subjecit Deus orbem terræ: et Job xxxiv: Quem constituit alium super terram aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Id enim intelligitur ratione ordinis a Deo constituti, non ex defectu potestatis in Angelo. Ita tenent quidam suppresso nomine apud Conimbricenses, quæst. III de vacuo, art. 1, et in specie tenet P. Suarez disp. xxxv Metaphysic. Martinez hic, et Cabero disp. III, dub. II.

Nihilominus oppositum, et probabilius, et communius est. Et communiter hoc deduci solet ex ipsa dependentia, quam habent inferiora corpora ab influxu, et motu superiorum, qui communicari non poterit posito vacuo; quia deest corpus in quo subjectentur influenzae cœlestes. Cæterum hæc ratio, licet deducatur ex Aristotele II Meteor. c. II, non tamen est sufficiens; tum quia solum probat in hoc mundo inferiori non posse dari vacuum, in quo est dependentia ab influentiis cœlestibus, non absolute in toto universo; tum quia saltem post diem iudicii, quando cessabunt in-

fluentia, et motus cœli, non repugnant fieri vacuum etiam in hoc mundo inferiori. Aliunde ergo sumi potest ratio universalior hujus repugnantia propter præcipuum bonum universi, quod consistit in ordine, et colligatione omnium partium ejus, multo magis quam bonum animalis in colligatione suarum partium; licet enim possit unum corpus mutari de uno loco ad alium, semper tamen subrogatur aliud corpus, quo manent illæ partes coordinatæ, et colligatæ: si vero nullum corpus succederet, sed relinqueretur vacuum, hoc ipso totus ille ordo deficeret partibus ipsis non colligatis, et si aliquid corpus illuc moveretur, et non repletur totum vacuum, maneret illud corpus separatim ab universo, utpote distinctum ab omnibus ejus partibus. Sic ergo vacuum dissolvit præcipuum ordinem et bonum universi, quod ex partium colligatione dependet: et sic, sicut materia nunquam potest manere sine forma, ita neque locus sine corpore.

Ex quibus deduco in natura corporea non esse vim ad faciendum vacuum. Patet, quia omnia corpora habent inclinationem ad conservandum colligationem, et ordinem partium universi, si etiam contra peculiare ipsorum inclinationes ad propria loca. Ergo nullum corpus potest vacuum inducere. Patet consequentia, quia vel induceret illud ex virtute peculiari, et sibi propria, vel ex communi, qua inclinatur in bonum universi. Non primum, quia omnis inclinatio particularis, et propria non potest vincere inclinationem communem, cum potius contra propriam inclinationem moveantur corpora ad tollendum vacuum. Non secundum, quia inclinatio communis non respicit destructionem, sed conservationem illius; idem est autem facere vacuum, et

facere contra bonum commune.

Deduco secundo, neque vim angelicam posse vacuum inducere. Sumitur ex D. Thoma a simili in quæst. XVI, de Malo, artic. X ad 8, ubi inquit: « Licet dæmones possint movere aliquam partem terræ, non tamen totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum, ut mutant ordinem elementorum mundi. » Cum ergo in inductione vacui, maxime ordo universi, et elementorum mundi mutetur, non est id concedendum naturæ angelicæ. Quæ ratio, ut penitus explicetur, duo sunt advertenda. Primum, quod Angeli directe non possunt aliquid facere nisi motu locali, scilicet applicando activa passivis, ut probat S. Thomas eadem quæstione XVI de Malo, articulo IX, et I part. quæst. CX, articulo V. Unde tantum poterunt immutare de ordine universi, quantum ordo iste pendet ex motu locali, sicut si moverent cælum motu opposito ad eum, qui nunc est, mutarent omnia, quæ ex isto motu dependent. Secundum est, quod natura non solum resistit vacuo motu locali, sed etiam si opus sit rarefactione, aut condensatione, vel ut aliqui existimant vi attractiva, vel aliis modis sibi possibilibus. Ex hoc ergo deducitur, non posse Angelum facere vacuum, quia deberet impedire motus omnium corporum, quæ ad illud impediendum concurrerent; ita quod si corpus proximum non posset impedire vacuum, distans ad id moveretur, et si non posset motu locali, conaretur motu rarefactionis, vel condensationis, aut alio quocunque. Omnes autem istos motus Angelus non potest impedire, quia vel impediret propria virtute et directe, vel applicando activa passivis. Non primo modo, cum solum possit motu locali operari circa corpora non aliis motibus alterationis, quibus etiam

natura utitur ad resistendum vacuo. Non secundo modo, quia activa et passiva, quæ potest applicare Angelus, sunt corpora, quæ neque virtute propria, neque communi possunt ad vacuum operari. Si autem Angelus removeret omnia corpora, quæ possunt vacuum impedire, deberet totum universum removere, quia omnia corpora ad impediendum vacuum concurrerent.

Ex quibus rationes dubitandi solvuntur. Dicimus enim ad primas, quod non possunt corpora etiam cœlestia præcipuum universi ordinem immutare; neque diluvium universale ex sola stellarum dispositione provenit, sed etiam Divina virtute operante, quæ: *Rupti sunt omne fontes abyssi*, ut dicitur Genes. VI. Et de ultima conflagratione mundi dicit D. Thomas quæst. V de Potent. articulo VI ad ultimum: « Quod non proveniet ex aliqua naturali causa, sed proveniet ex imperio Divinæ voluntatis; » et videri etiam potest in IV, distinct. XLVI, quæstione secunda, articulo primo, quæstio. III. Et tamen major resistentia est ad vacuum, quam ad diluvium, vel conflagrationem, quia in vacuo dissolvitur substantialis colligatio partium universi, ad quam omnia corpora concurrunt etiam contra proprias inclinationes, in diluvio vero, vel conflagratione unum corpus succedit alteri in loco.

Ad alias rationes ex parte virtutis angelicæ respondetur probare, quod Angeli poterunt vincere motus peculiare, quorumcumque corporum erga locum: sed non probant, quod possint vincere omnes motus etiam alterationis, et rarefactionis, et omnes alios, quibus tota natura resistit vacuo. Et licet non sit virtus infinita illa, quæ resistitur vacuo, tamen virtus, quæ nunc est in universo, non potest illam finitam virtutem vincere, quia non potest immutare

substantialem colligationem, et ordinem universi sive motu locali, sive aliis motibus, ut explicatum est.

Argumenta, quæ solent fieri ad probandum vacuum naturaliter esse possibile intra hoc universum, facilia sunt. Primum, quia duo corpora perfecte plana sine ullo medio se tangunt; ergo si simul totaliter separentur, non poterit in illo primo instanti totus aer occupare illud spatium intermedium, cum per motum intret. Ergo saltem brevi aliqua mora dabitur vacuum.

Secundum, si vas plenum aqua calida, et undique oclusum exponatur frigori, congelabitur aqua, cum totum vas penetretur frigore: ergo contrahitur illa aqua congelata, ergo cum vas sit oclusum manebit aliquid vacuum.

Denique, natura non movetur ad replendum vacuum violenter, sicut enim non ferretur in illud tanto impetu nullo extrinsecus movente; neque naturaliter, quia fertur contra propriam inclinationem et bonum, quod est maxime appetibile; quia ut dicit Philosophus, VIII Ethicorum, capit. II: Amabile quidem est bonum, maxime autem proprium; contra proprium, ergo bonum non potest aliquid, nisi violenter ferri.

Ad primum respondetur, illa duo corpora, non posse instantanee disjungi, aut copulari, sed oportet dare locum corpori ingredienti, aut recedenti, quod fit per motum, sicut nec latera follium possunt avelli, si est oclusum, nisi forma vel aperiantur, vel rumpantur latera follium. Neque obstat, quod corpus planum cadens super aliud planum nimis ponderosum sit, verbi gratia, moles ferrea, delinebitur enim vi totius naturæ, ne in instanti jungatur alteri plano quousque interclusus aer exire possit, quod fiet in brevissimo tempore.

Ad secundum respondetur in eo casu, vel aquam non congelandam, vel vas rumpendum, si aer nullo modo ingredi possit, vel aquæ evaporatione generari. Et illa fractio vasis incipiet per partem debiliorem vel ubi majus frigus incumbit. Quod si ex omni parte vas sit æquale, et frigus circumstans etiam æquale, vel non congelabitur aqua resistente natura, ne detur vacuum, vel ad primam causam pertinebit determinare, qua parte vas rumpendum sit.

Ad ultimum dicimus supra, quæst. IX, artic. IV, motum illum ad supplendum vacuum esse naturalem, et ex ipsamet gravitate posse procedere, quatenus est pars universi, quod est non esse naturale absolute, sed respectu totius universi, et supposita ejus exigentia, sicut enim ad conservationem terræ gravitas inclinatur deorsum; sic propter conservationem totius, et consequenter ipsius terræ, ut pars totius inclinabitur terra, et ejus gravitas ad ascendendum sursum vehementiori impetu. Et sicut in animali videmus elevationem pedis esse naturalem, secundum formam animæ, non secundum rationem corporis, ut docet Aristoteles VIII Phys. text. XXVII, et ibi D. Thomas lect. VII, ita motus ad supplendum vacuum est simpliciter naturalis respectu boni communis. Quando autem dicit Aristoteles bonum proprium maxime esse amabile, comparavit bonum cum bono privato alterius, non cum bono communi, quia hoc etiam pertinet ad ipsam rem: neque est bonum extraneum seu alienum, cum maxime ab ipso pendeat conservatio proprii.

ARTICULUS II.

Utrum corpus in vacuo possit moveri?

Difficultas potest sumi, vel ex extrinseca ratione ipsius motus, qui non potest in vacuo acquirere terminum, vel ex aliquo extrinseco, quia posito vacuo deficiet influenza cæli, a qua dependet omnis motus corporis inferioris. In presenti loquimur de motu in vacuo absolute, et quantum est ex natura motus, non attenda dependentia ab extrinseco, quæ vel potest suppleri a Deo, vel non currit, nisi in corporibus inferioribus, vel non nisi durante hoc statu rerum, non cessante motu cæli.

Resolutio ergo nostra est: Non repugnare motum in vacuo, absolute loquendo, licet extra universum non fiat motus naturalis a gravitate, vel levitate. Hæc sine dubio est sententia D. Thomæ; nam III p. QU. LVII, artic. IV ad 2, docet: « Corpus Christi Domini esse extra totam continentiam cælestium corporum, et non esse in loco continente. » Et quodlib. VI, art. III, docet: « Quod nihil prohibet Angelum, et corpus gloriosum esse in connexo cæli empyrei, quia non dependent ista corpora a primo continente, quod est cælum, » ubi pondero S. Thomam non restrinxisse modum existendi corporis Christi in cælo ad hoc, quod tangat superficiem ultimam cæli aliqua parte corporis, sed absolute dicit, quod est extra totam continentiam cæli. Et saltem aliqua partes corporis Christi, ut caput, et brachia, extra continentiam cæli sunt, etiam dato, quod pedibus tangat ultimam superficiem; ab illa enim tunc non circumscribitur, et sic erit locus; sed illic pervenit Christus per motum localem, quo

scilicet ascendit super omnes cælos. Ergo aliquas partes corporis sui movit per illud spatium, quod est extra cælum, quod est vacuum negativum. Denique, in IV Physico. lect. XI, circa finem, dicit D. Thomas: « Quod in vacuo non moveretur aliquid motu projicientis, nisi quamdiu vehementer aliquid motu projicientis, sed statim emissum a manu caderet. » Ergo sentit, quod daretur aliquis motus in vacuo absolute loquendo.

Deinde, constat ultimum corpus in sententia Philosophi et absolute loquendo posse moveri, constat autem, quod superficies ultimi corporis non est in loco, cum ultra illud non sit aliud corpus ambiens, ergo motus in vacuo dari potest. Denique, nulla est repugnantia ad motum in vacuo, nam ex parte corporum datur potentia motiva, præsertim si sit vivens: similiter datur aliquis terminus, quem acquirit, potest enim approximare, vel recedere ab aliquo alio corpore posito etiam in vacuo; et sine dubio, si Deus annihilaret corpora sublunaria, et relinqueret ignem in terra, illa ascenderet; tum ad conservandum se in loco proprio juxta cælum, tum ad replendum vacuum; ergo moveretur per illud. Quod vero Aristoteles in octavo capite hujus libri probaverit, non dari vacuum, quia in eo non potest dari motus, non absolute id Philosophus docet, sed ad hominem arguit eos, qui dicebant impediri motum, si spatium esset plenum; contra quos probat, quod vacuum potius impedit motum, saltem naturalem, et projectionis, quia tunc non dabitur locus determinatus ad quem feratur, ut quiescat, sed in infinitum movebitur, sed non probat de omni motu in vacuo, v. g. qui fieret, si poneretur vacuum intra hoc universum ad replendum illud, vel qui posset fieri

etiam extra cœlum per motum progressivum, aut motum ultimi corporis. An vero sequeretur fieri motum in instanti, si daretur vacuum, statim dicemus.

Contra hanc tamen resolutionem objicies primo. Nam motus localis solum terminatur ad ubi, quod est modus intrinsecus proveniens ab extrinseco circumscribente, sed in vacuo nullum datur circumscribens, ergo neque aliquid ubi circumscriptivum, et consequenter neque motus corporeus qui solum ubi circumscriptivum, et corporeum potest producere. Et præsertim hoc urgetur in sententia D. Thomæ 1 part. quæst. cx, artic. iii, ubi dicit: « Quod mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum hujusmodi, sed ad aliquid extrinsecum, scilicet locum. » Ergo cum in vacuo nullus sit locus extrinsecus, non dabitur motus in illo. Si dicas, motum in vacuo non esse ad locum, sed circa locum, quatenus potest acquirere distantiam, vel approximationem ad aliud corpus, contra hoc est, quia talis approximatō, vel distantia non est ubi positivum, cum careat omni circumscriptōne, et consequenter non est terminus positivus motus: neque enim remoto ubi apparet, quid acquiratur per motum proprium. Et deinde, si omnia corpora essent annihilata a Deo præter unum tantum, illud non posset acquirere distantiam, vel approximationem positivam, quæ est respectu alterius corporis: ergo saltem tunc nihil positivum erit acquirendum per motum, et sic non movebitur illud corpus.

Secundo, si daretur motus in vacuo, sequeretur quod esset in instanti, atque adeo destrueretur ipsa ratio successivi, quo argumento utitur Aristoteles in hoc libro contra veteres. Sequela probatur, quia

mobile ideo consumit tempus, quia medium illi resistit, quando enim medium est subtilius, tanto motus est velocior: ergo remoto omni medio, nulla erit resistentia, et sic nullum tempus consumetur, sicut lux in instanti illuminat, quia nihil ei resistit; et generatio substantialis fit in instanti, quia omnia resistentia contrarii per dispositiones ablata est. Tum quia alias duo corpora inæqualis gravitatis, ut moles ferrea, et granum millii moverentur eodem tempore per vacuum, ideo enim aliquid velocius movetur, quia facilius scindit ipsum medium: ergo ubi nullum est medium, æque facile utrumque movebitur.

Tertio, est difficultas, quia in vacuo neque fit motus naturaliter neque violenter, neque per impulsum, neque progressive; ergo nullo modo. Non esset naturalis, quia motus naturalis tendit sursum vel deorsum propter sui conservationem, in vacuo autem non est positio aliqua sursum, vel deorsum, neque virtus conservandi in una parte magis, quam in alia. Non violentus, quia motus violentus opponitur naturali, et declinat ab illo: ergo ubi non potest dari motus naturalis, neque violentus. Non per impulsum, quia res projecta ideo fertur per impulsum, quia aer concitatus impulsu defert et sustentat projectum ne cadat: sed in vacuo non est aer, neque aliud corpus: erga projectum non potest deferri per vacuum. Denique, non datur motus progressivus ea generali ratione, quia si corpus occupat spatium in vacuo, hoc ipso quod recedit ab illo spatio, relinquit illud vacuum, et sic naturaliter facere vacuum per motum.

Ultimo, magis liber est a loco spiritus, quam corpus, sed spiritus non moveretur in vacuo, ergo neque corpus. Minor probatur, quia

spiritus movetur acquirendo ubi spirituale, quod resultat non ex passiva circumscriptōne, sed ex operatione suæ virtutis, vel applicatione ad operandum, ut docet D. Thomas 1 p. q. lxx, et communiter Thomistæ; sed in vacuo non potest operari circa aliquid; ergo nullum ubi potest acquirere, neque aliquem terminum motus.

Ad primum respondetur motum in vacuo posse acquirere ubi, et si non actualiter, et formaliter circumscriptivum, virtualiter tamen, vel inadæquate, seu reductive. Dupliciter enim potest intelligi vacuum et motus in illo. Uno modo, ita quod vacuum fiat intra hoc universum, et licet tollatur superficies immediate ambiens, non tamen tollatur ipsa superficies primi locantis, scilicet cœli sub quo moveri potest corpus, licet non immediate circumscribatur, sed fit in vacuo. Et sic motus in tali vacuo factus acquirat ubi circumscriptivum circumscriptōne mediata, et superiori, quia licet non acquirat locum formalem, id est, adæquatam, et immediate circumscribentem se, acquirat tamen locum mediate circumscribentem; et hoc vocamus ubi virtualiter circumscriptivum. Alio modo potest moveri aliquid in vacuo, quod est extra totum universum, et tunc non potest acquirere ubi, prout dicit circumscriptōnem locantis mediatam, vel immediatam, sed solum potest acquirere rationem aliquam distantiam, vel propinquitatis respectu alterius corporis a quo recedit, vel cui appropinquat. Neque enim motus localis est solum ad locum, ut dicit D. Thomas opusc. lxx, sed etiam circa locum.

Hinc autem colligimus, quod ad motum localem non solum pertinet acquirere ubi, quod simpliciter et perfecte circumscriptivum sit, sed etiam quod imperfecte vel inadæ-

quate, et solum reductive sit ubi circumscriptivum. Illud dicitur ubi adæquate, et perfecte, in quo inveniantur omnes conditiones ad ubi circumscriptivum requisitæ: illud vere inadæquate, et imperfecte, in quo non reperiuntur omnes, sed aliqua tantum. Requirit autem ubi circumscriptivum duas conditiones. Altera est, quod detur aliquod corpus extrinsecum circumscribens: altera, quod detur aliqua distantia, vel propinquitatis respectu alicujus termini fixi, et immobilis. Neque enim sola circumscriptio corporis extrinseci sufficit ad locum; hoc enim etiam invenitur in vase respectu ejus quod continet, et in veste respectu ejus quod circumdat, et neutrum est locus, quia cum ipso mobili defertur, non acquiritur, vel relinquitur. Ratione vero distantiam habet locus id quod proprium est loci, scilicet diversam situationem, vel distantiam acquirere, et aliam relinquere; et hæc non defertur cum ipso mobili, quando movetur, et ideo vocatur immobilis. Remoto ergo corpore circumscribente in vacuo, potest manere ordo propinquitatis, vel distantiam ad aliud corpus circa quod, vel penes quod moveatur aliquid corpus. Et hoc est acquirere ubi inadæquate, seu quantum ad aliquid, et non quantum ad omnia, id est, non quantum ad circumscriptōnem, sed quantum ad distantiam; et dicimus acquirere etiam aliquem modum, qui sit reductive, et imperfecte ubi, quando sic movetur aliquid in vacuo, quia relatio distantiam, vel propinquitatis non potest immediate fundari in ipso corpore mobili, quia indifferens est ad hanc vel illam distantiam, vel propinquitatem, et sic requirit aliquem modum, seu determinationem de novo advenientem, in quo ista diversa relatio fundatur, vel mutetur. Quod ex eo etiam dari

colligimus, quia cœlum est in potentia ad ubi, et non ad esse, ut ex Philosopho sæpe docet S. Thomas, et videri potest in II, distinct. I, quæst. I, art. V ad 8, secundo loco, et tamen ubi ultimi cœli non est circumscriptivum adæquate. Et licet in ipso spatio vacuo distantia positiva non sit, potest tamen in ipso corpore, quod movetur in vacuo positiva distantia fundari respectu alterius corporis, a quo recedit vel appropinquat, et sic positive moveri. Quod si nullum aliud corpus sit creatum a Deo, nisi tantum unum in spatio imaginario, tale corpus non poterit moveri motu locali positivo, quia tollitur omnis differentia locorum, sicut etiam sentiunt Conimbricenses hic q. IV, art. II, §. Ad rationes. Sed hoc est per accidens, quia deest materia circa quam producatur ubi, sive perfectum, sive imperfectum, sicut ignis defectu materiæ non alterabit, neque generabit. Et sic etiam salvamus dictum D. Thomæ quod motus localis semper est ad extrinsecum, id est, vel ad extrinsecum circumscribens, vel ad extrinsecum distans aut propinquum; semper tamen supponendo, quod producatur aliquis modus intrinsecus ipsi mobili erga tale extrinsecum, et hoc vocatur ubi; et sic patet ad omnes replicas primæ objectionis.

Ad secundum negatur sequentia ex D. Thoma in IV, dist. XLV, quæst. II, art. III, quæst. III ad secundum, ubi docet, quod resistentia non sumitur solum ex parte mediæ ad motum, sed etiam ex parte mobilis ad movens, et ex parte locorum inter se, quia cum distantiam aliquam habeant, quæ est sicut contrarietas positiva, illa non potest vinci in instanti, sed in tempore. Rationes autem Philosophi in capite octavo hujus libri, solum procedunt contra aliquos, qui totam resistentiam motus

ponebant ex parte mediæ, sic enim sublato omni medio tollebatur omnis ratio resistentiæ. Constat tamen non inde solum oriri resistentiam, vel distantiam tempore vincendam, ut patet tum in ipso cœlo, in quo non est resistentia ad motum ex parte mediæ, et tamen consumit tempus; tum etiam, quia si a cœlo usque ad terram esset vacuum, et moveretur lapis unius palmi, si unico instanti moveretur a cœlo ad terram, in eodem instanti esset præsens simul cœlo, et terræ, et intermediæ distantia, cum tamen solum sit unius palmi; si autem in diverso instanti est in cœlo et in terra, jam movetur in tempore, quia inter duo instantia est tempus medium. Et sic patet ad rationes in contrarium: neque enim tota ratio resistentiæ, aut major facilitas se movendi, est ratione mediæ, quo resistit, licet inde sumatur aliqua pars resistentiæ; sed sumitur etiam ipsa ex existentia locorum et major, vel minor facilitas motus ex majori pondere, vel virtute moventis.

Ad tertium respondetur, quod extra cœlum non esset motus naturalis ratione gravitatis, vel levitatis, quia ibi non datur centrum, seu locus naturalis conservativus, ad quem inclinant istæ virtutes, et consequenter neque dabitur motus violentus illi oppositus. Poterit enim dari motus progressivus, sicut in corpore Christi ascendente ultra cœlum, vel etiam per impulsu impressu ipsi corpori, non aeri deferenti. Quod vero tunc ex motu corporis relinquatur vacuum, non obstat, quia hoc non est facere vacuum removendo corpora ne illud repleant, sed supervacuum jam præsuppositum mutare distantiam propriam.

Ad ultimum respondetur, quod D. Thomas in illo quodlib. VI, supra

citato docet. Angelum posse esse in convexo cœli empyrei, sicut corpus gloriosum, quod ultra cœlum moveri potest. Quid autem Angelus acquirat in illo vacuo dependet ex diversis sentiendiis, quomodo Angelus sit in loco, et quid sit ubi spirituale, quod non pertinet ad physicum, sed ad theologum. In sententia D. Thomæ, quod Angelus est in loco per ubi in se receptum, mediante tamen contactu non formali, qui est per quantitatem, sed virtuali qui est per operationem, quatenus potest extra se agere erga corpus, sicut anima informare materiam, dicendum est, quod Angelus in vacuo poterit moveri ad aliquod corpus, quod sit distans a se motu discreto, non transeundo per medium, quia non datur aliquod corpus cui assistat, et quod operatione sua continuata tangat. Si autem nullum sit corpus in rerum natura, moveri non poterit, sicut nec esse in loco operative, quod tamen est per accidens ex defectu materiæ circa quam operetur, sicut anima remoto corpore non potest informare. Nec tamen potest Angelus in vacuo acquirere distantiam, vel propinquitatem, sicut corpus, quod movetur per vacuum, eo quod Angelus non potest fundare distantiam positivam immediate in se, cum careat omni occupatione loci, et divisibilitate, sed solum potest fundare illam mediate, id est, mediante corpore cui assistit.

QUÆSTIO XVIII.

DE TEMPORE.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum tempus sit aliquid reale in genere mensuræ durationis?

Certum est nomine temporis communiter intelligi aliquid pertinens

ad durationem earum rerum, quæ mutatione, et successione durant. Unde aliquando sumitur tempus largiori significatione pro duratione intrinseca cujuscunque motus, ut docet D. Thomas in II, dist. XII, quæst. I, art. V ad 3, et I p. q. LXXXV, art. IV ad 1, et alibi sæpe. Strictius autem, et proprius sumitur tempus pro duratione motus magis uniformis, et regularis, sub quo cæteri continentur, et quo regulantur, et hoc est tempus extrinsecum respectu motuum inferiorum, licet intrinsecum respectu primi motus.

De tali ergo tempore agimus in præsentibus, de quo supponimus, quod est continuum in se, sicut et ipse motus in quo invenitur continuus est, et successivus. Ad mensurandum autem per illud aliquem motum, utitur illo per modum numerationis discretæ, quæ numeratio solum intellectu fit, eo quod non potest res successiva accommodari ad mensurandum per numerationem, nisi conjungantur partes illæ successivæ, quarum una transit, et jam non est, et alia est transitura, et nondum est: et sic indiget intellectu comparante, et assumente illas per modum unius. Et rursus, quia continuum est, et successivum, constat partibus copulatis per indivisibilia etiam successiva, et transeuntia, quæ vocantur instantia, et correspondent indivisibilibus motus, quæ dicuntur mutata esse. Datur tamen tempus discretum, quod est duplex; aliud corporale, quod non est aliud, quam duratio motus interrupta; aliud spirituale, quod non est aliud, quam pluralitas operationum, quarum quælibet indivisibiliter durat in se, quia successiva non est, et hoc modo datur tempus in operationibus Angelorum, de quo nihil ad præsens.

Ut ergo quidditas temporis cla-